

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

IX. Menstrua Vegetabilia composita ex Menstruis Vegetabilibus
simplicibus & rebus tingentibus prius fixatis

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

IX. GENUS.

*Menstrua vegetabilia composita ex men-
struis vegetabilibus simplicibus, & re-
bus tingentibus prius fixatis.*

51. Circulatum majus, five acetum acerrimum
metallicum Paracelsi,

Lib. X. Arch. pag. 38.

SI mercurius vulgi in primum Ens liquidum reduci debeat, tunc est ante mortificandus, & formâ suâ exuendus, idque fit per varias sublimationes cum vitriolo & sale communi, ut postremò fiat instar cristalli fixæ. Deinde solve illum in sua matrice nempe in primo Ente salis (*circulato minore ex sale, sive aqua salis circulati superius sub No. 27. descripta*) putrefac per mensem: Corrumpe cum novo Arcano salis (*circulato minore*) ut impurum in fundo præcipitetur, purum verò in cristallos vertatur. Lapillos sublima in reverberio clauso, cum sublimatum est invertè semper, quousque in ruborem deveniat, sublimatum hoc extrahe cum spiritu vini ad summum rectificato (*vini phil.*) separa spiritum vini (*destillando*) reliquum (*tincturam siccam vel crocum mercurii*) solve super marmore (*per deliquium*) & digere per mensem, affunde novum spiritum vini, digere ad tempus & destilla; Tunc Arcanum primi Entis mercurii in liquida substantia transcendet, quod à philosophis acetum acerrimum metallicum, & in nostris Archidoxis circulatum majus appellatur. Idemque de antimonio, gemmis, cæterisque metallis intelligendum est.

An-

Annotationes.

Magna inter genus hoc & antecedens est differentia, licet ambo tractent de aquis mercurialibus. Antecedentes ex mercurio crudo compositæ erant. Circulatum hoc Paracelsi ex mercurio quidem, sed fixato prius, conficitur. Antecedentes erant limpidissimæ; circulata hæc majora clarissima quidem sunt, sed insuper rubicundissima, adeoque antecedentibus, in suis tincturis longè præstantiora. Receptum considerabimus in sua membra divisum, in quorum primo, argentum vivum toties sublimat Paracelsus, donec fiat instar cristalli fixæ, id est, instar cristalli mineralis sive communis, pellucidus & clarus. Hoc membrum uti commune, ita minus necesse est explicari. Libro de Renovat. & Restaur. Mineram auri vel antimonii tritam tantummodò accipit pro eodem opere, quæ tamen corpora magis occlusa sunt quam metallum apertum, mercurius; hinc istud etiam absque sublimatione satis aptum esse videri potest pro dissolutione in circulato sale. Ad Recepti elucidationem addemus descriptionem libri de Renov.

R. Mineralis auri vel antimonii minutissimè triti libram unam, salis circulati libras quatuor. Mixta simul digerantur in equino fimo per mensem; inde fiet aqua, cujus ab impuro separetur purum, hoc in lapidem coagulato, quem vino cenicato (lenificato) calcinabis, & separabis iterum, & super marmore solves. Aquam hanc putrefieri finito per mensem, inde fiet liquor, in quo signa fiunt omnia, ut in Ente primo auri vel antimonii. Quare meritò primum Ens vocamus earum rerum. Non secus de mercurio, necnon aliis intelligendum erit.

In membro secundo mercurium ita sublimatum dissolvit in sale circulato, primo Ente salis, Arcano salis, Aquâ salis circulati (synonyma circulati minoris Paracelsi) putrefacit vel digerit, præcipitat cum novo circulato sale, filtrat, tandemque in cristallos, sive vitriolum philosophicum redigit. In Recepto libri de Renov. rerum pondera addit: Recipe, inquit, mineræ auri vel antimonii libram unam, salis circulati libras quatuor, & porro digerit, & impurum à puro separat, & in cristallos coagulat. Aliquando dissolvit corpora menstruo quodam minerali,

quod.

quod bis vel ter abstrahit ab iis, optimèque ab omni aciditate, aqua communi pro posse edulcorat iterum. Ita sulphur commune dissolvit in fortissima aqua forti (aqua regis, Paracelsi in 18 genere describenda) ter cohobat in materiam nigram, quam aquâ destillatâ edulcorat. Libro de morte Rerum.

Perinde enim est, ac si aurum vel antimonium circulato minore tantum dissolvantur, & redigantur in vitriolum philosophicum; vel si argentum vivum, ob temporis abbreviationem, in sui sublimatione, salium acido prius imprægnetur, adeoque pro opere magis apertum reddatur, & deinde circulato minori commisceatur, digerendo & præcipitando purificetur, tandemque redigatur in vitriolum philosophicum; vel si ob majorem temporis accurtationem, sulphur menstruo minerali, id est, acido & circulato minori invicem permixtis, commisceatur, posteaque liberetur ab acido, ita ut cum circulato minore fiat idem vitriolum philosophicum, quocunque enim modo fit vitriolum phil. at de his vitriolis inferius in menstruorum mineralium Receptis.

In membro tertio, lapillos seu cristallos mercurii sublimat toties in reverberio clauso, (id est, ovo philosophico) semper invertendo istud, donec vitriolum mercurii figatur tandem in præcipitatum rubicundissimum. Membrum hoc illustrabunt sulphuris & antimonii sublimationes in reverberio clauso. Abstracta fortissima aqua forti aliquoties à sulphure, materiam residuam inde nigrescentem optimèque edulcoratam reverberat (id est, sublimat in reverberio clauso & cum sublimatum sit, invertendo reverberium clausum, sive ovum phil. toties & semper, quousque in ruborem deveniat) sicut, inquit, antimonium, tum fiet primò album (sublimatum) postea flavum, tertio rubrum (præcipitatum) ut cinnabaris. Quo habito gaudere debes. Est enim initium divitiarum tuarum. Hoc reverberatum sulphur tingit altissimè quamlibet lunam in præstantissimum aurum, & corpus humanum in suam summam sanitatem plus quàm scribere licèt, tantæ virtutis est hoc reverberatum (nota) fixatum sulphur. Libro de morte Rerum pag. 95. Antimonii reverberatio extat pag. 67. Chyr. majoris. Ita,

Rx. Antimonii in subtilissimum Alcool (in vitriolum philosophicum cum circulato minore, per modum mercurii in circulato majore; vel in materiam nigram & edulcoratam iterum, per mo-

*V. ad eundem
redot pfectum*

and

modum sulphuris (redacti quantum sufficit, in clauso reverberatorio ad spatium unius mensis reverberetur (*semper invertendo reverberatorium, quamdiu sublimabitur materia*) & evadet volatile leve, primò album, mox luteum, deinde rubrum, postremò purpureum seu violaceum. Antimonio per sublimationem ita fixato extrahit spiritu vini phil. tincturam, quam nobilissimam, pretiosissimam & tantum non divinam Lili essentiam vocat.

In quarto membro mercurium præcipitatum, & spiritu vini phil. extractum, solvit per deliquium, digeritque cum novo vini phil. spiritu, totiesque cohobat donec ascendat per alembicum in primum Ens sive essentiam mercurii, mercurium circulatum, circulatum majus ex mercurio, &c.

In Recepto observamus.

1. Argentum vivum, antimonium, sulphur, imò aurum, argentum cæteraque metalla; menstruo aliquo vegetabili simplici dissoluta, reverberata deinde sive sublimando fixata, soluta per deliquium, destillatæque in liquidam substantiam, esse argentum vivum, antimonium, sulphur, aurum, argentum, &c. circulatum; sive circulatum majus de mercurio, antimonio, sulphure, &c.

2. Menstrua hæc dici circulata, quoniam à veteribus circulabantur per 30 vel 40, aliquando 60 dies.

3. Circulata hæc dici majora, ut distinguantur à circulatis minoribus minùs excellentibus, cum majora majorem vim habeant & rebus dissolvendis impertiantur tincturam.

4. Circulata hæc esse metallorum & mineralium prima Entia sive essentias graduatas, & si quid iis excellentius esse posset inter volatilia, cum de essentia modo fixata sive Astro, in essentiam multò nobiliorem, Arcanum dictam, sint exaltata.

5. Circulata hæc esse medicamenta sive Arcana medica.

6. Circulata hæc esse rubicundissima. Lapillos sublima, inquit Paracelsus, quousque in ruborem deveniant. Ex reverberato antimonio ad purpureum vel violaceum colorem extrahit tincturam Lili. Ex reverberato autem sulphure conficit animam metallorum, de qua ita: Quòd autem Hermes dixit; quòd sola

anima fit illud medium, quod jungat spiritum corpori, non ineptè sensfit. Cùm enim sulphur fit illa anima, & sicut ignis, omnes res maturet & excoquat, poterit etiam spiritum ligare cum corpore & unà incorporare & unire, ita ut inde valdè nobile corpus gignatur. Quanquam non vulgare combustibile sulphur pro anima metallorum habendum est, sed anima est aliud quid, quàm corpus incombustibile & incorruptibile. Quare à nullo igne comburi potest, cùm sit tota ignis, & revera nihil aliud est quàm quinta essentia sulphuris, quæ ex reverberato sulphure per spiritum vini (*phil.*) extrahitur, & coloris rubei & pellucida existit sicut rubinus: Quod quidem magnum & præstans Arcanum est ad transmutanda alba, & ad coagulandum mercurium vivum in fixum & probatum aurum. Hoc tibi pro thesauro ditescendi commendatum habeas, & meritò hoc unico arcano in Transmutatione metallorum contentus esse debes. *Libr. 1. de gener. Rerum Nat. pag. 87. Si mercurius, antimonium, & sulphur per reverberationem fixata, & vini phil. spiritu extracto sint rubra, rubini instar pellucida, sequitur eadem corpora, vini phil. spiritu volatilifata, rubicundiora evadere. Hinc Dianæ menstrua varii coloris esse observamus, aliquando alba, lactea & opaca; aliquando limpida & clarissima; aliquando iterum rubicundissima & pellucidissima; ita ut cum grano salis sumenda sint argumenta Bernhardi menstruorum diaphaneitatem negantis: Ubi satui, inquit, ex minoribus mineralibus faciunt, & extrahunt aquas corrosivas, in quas projiciunt species metallorum & eas corrodunt. Putant enim propterea illas solutas esse solutione naturali, quæ quidem solutio requirit permanentiam simul, scilicet solventis & soluti, ut ex utroque, nempe masculino & feminino semine, nova species resulter. Amen dico tibi, quòd nulla aqua naturali reductione speciem metallicam dissolvit, nisi illa, quæ permanet eis in materia & forma, & quam metalla ipsa soluta possunt recongelare. Quod in aquis fortibus non contingit, sed potius est deturpatio compositi, utpote corporis dissolvendi. Nec corporibus pertinet aqua in solutionibus, quæ eis in congelationibus non permanet; mercurius est hujuscemodi, & non aquæ fortes seu quam satui existimant aquam mercurialem limpida & diaphanam. Si enim dividerint & obstruxerint homogeneitatem mercurii, quomodo stabit & conservabitur pro-*

portio prima seminis feminei? pag. 60. *Epist. ad Thomam.*
 Elixir & Azoth, *pergit*, hoc est spiritus vitalis (*vita, aqua*
vita phil.) & anima (*Spiritus animatus*) fugitiva, non sunt
 diaphana, nec transparentia, nec sicut oculi lachryma clara,
 nec quivis spiritus dissolvens. pag. 94. *eiusd. Epist.* Quod in
 diaphano liquore claro & transparenti fieri non potest. Quo-
 niam si Elixir & Azoth prædicta, id est spiritus & anima dia-
 phaneitatem referrent & haberent, jam in proportione terra
 aquam dimisisset, & ab illa separata esset, quæ inspissavit &
 coagulavit partes ejus, opacitatem fecit in Elixir & Azoth, fe-
 citque formam stare congelabilem metallicam. Nam in fixis
 speciebus metallicis restringendis, oportet, ut restringens agat
 in restringibilem, & congelans in congelabilem, quod fieri non
 potest in prædicta aqua diaphana & clara. Aliter autem acci-
 dit in vegetabilibus, in quibus aqua simplex & diaphana per de-
 coctionem in ipsis vegetabilibus inspissatur, quæ tamen examine
 ignis tandem evanescit & evaporat: Quia non est permanens,
 & fixa in compositione, quia terram naturaliter sibi homoge-
 neam secum in compositione non habuit, sicut argentum vivum;
 quæ quidem terra causa est permanentis fixationis in homogeneis.
 Quare aqua simplex congelatione non potest fixari cum vegeta-
 bilibus, sicut mercurius cum metallis. Si ergo mercurius dia-
 phaneitatem acceperit in opere philosophorum, jure irrestrin-
 gibilis substantiæ permanebit, nec congelabitur super Latonem
 ad formam, speciem, & proportionem metallicam, qui nec se-
 cum, nec in se desert suimet ipsius congelationem, sicuti aqua
 terram; quæ quidem terra, ut dictum est, est mercurialis; &
 causa prima inspissationis, coagulationis, & fixationis. Si ergo
 ista aqua ita maneat extra proportionem metallicam, quomodo
 similes species ex hac compositione procreari poterunt? Errant
 itaque illi, qui sic putant aquam limpidam transparentem ex
 mercurio extrahere, & ex illo multa mira operari. Nam sit ita,
 quod talem aquam perficiant, nihil tamen prodesset ad opus,
 nec ad ejus naturam & proportionem, nec posset restaurare seu
 ædificare speciem perfectam metallicam. Quam citò enim mer-
 curius à sua prima natura permutatur, tam citò prohibetur in-
 gredi opus nostrum philosophicum, quoniam perdidit naturam
 spermaticam & naturam metallorum. Ex his ergo notum est,
 quid veritatis contineat, & in quo contraria & aliena sit opinio
 tua,

tua, cum dicis, oportet ad perficiendum summum Elixir habere gummam, in qua sunt omnia ei necessaria, continentem quatuor elementa, & est aqua clarissima sicuti oculi lachryma, spiritualis facta, quod facit aurum merum esse spiritum. Nam corpus non penetrat corpus, sed subtilis substantia spiritualis congelata, quæ corpus penetrat & colorat. Esto ut dicis, honorande mi Doctor, quod naturæ non conjunguntur, nisi gummâ vel re oleosa, &c.

Si contra omnem aquam mercurialem non permanentem, aquâ forti vel quocunque alio vulgari menstruo limpidam redditam, Bernhardus disputasset tantum, non simul contra Thomæ de Bononia, aquam mercurialem limpidissimam, tum prædicta argumenta magnarum essent virium; nunc verò limpiditati menstruorum hujus, ut & aliorum Adeptorum objecta, velut inefficacia reperiuntur. Eadem terra, quæ minus bene dissoluta, opacitatis causa est in menstruo permanente Bernardi, ea ipsa exactè dissoluta limpiditatis causa est apud Thomam, inspissans & coagulans aquam æquè bene, si non meliùs, ac si minus dissoluta fuisset. Diaphaneitatem menstruorum defendunt Lullius, Parisinus, & Adeptorum plurimi. Lullius cælum suum vinosum clarum pronunciat, serenum & resplendens ad instar stellæ cæli in Test. Noviss. pag. 8. De quo ipso menstruo Parisinus ita in appendice Elucidarii pag. 273. Vol. 6. Th. Chym. Tunc quintam essentiam adamante luridiorem & clariorem videbis, quæ stellarum claritatem superat, adeo ut dubium sit, an in vitro contineatur, necne.

X. Genus.